



27

1. Jo. Dan. Hoffmann commentatio de originibus Linguae Polonicae
Morus. 1730.
2. Equid. Specimen collectaneorum etymologicorum, quibus
voces a Polonis usurpatae illustrantur. Thor. 1744.
3. Kiferuski Erlangung siniger, d. h. Fridtuffen in Herb. St. Petersburg
in Preußen zurückgebliebenen Ueberbleibsel. Königsb. 1756.
4. Jo. Dan. Hoffmann memoria Henrici de Hohenlohe. Ell. 1757.
5. Jac. Weit recensio actorum anni 1595, in causa Gymnasii commu-
nis in Prussia aperiendi. Ell. 1761.
6. Jo. D. Hoffmann, commentat. de mutuis Anglorum et Prussorum
commerciis sub dominat. Ord. Fenton. Ell. 1765.

V I R O
M A G N I F I C O G E N E R O S O
A M P L I S S I M O
C O N S V L T I S S I M O Q V E
D O M I N O
I O A N N I G E O R G I O
B R A C K E N -
H A V S E N

Fasces Pro-Consulares
capeffenti

demiffiffimo animo
gratulatur

I O A N N E S D A N I E L H O F F M A N N
exhibito specimine
C o l l e c t a n e o r u m E t y m o l o g i c o r u m
quibus

voces a Polonis olim & hodie vſurpatæ ex originibus ſuis
eruantur & comparatione linguarum illuſtrantur.

THORVNII Ex Typographeo NOBILISS. SENATVS & GTMN.

94082

ii

VIR MAGNIFICE,



*D*ignitatis *TV AE*, nuper-
rime in *TE* collatae, am-
plitudo, iustam habet ve-
nerationem ; propterea
quod eam magnis *TV IS* meritis conse-
cutus es. In agendis enim rebus dex-
teritas,

teritas, amor in patriam, prudentia
longo rerum usu parta, ad illud fasti-
gium honoris, quo diutius dignus habi-
tus es, **TE, VIR MAGNIFICE,**
euexerunt. Nulla igitur maior, quam
iudicio studioq; **SENATUS PRV-**
DENTISSIMI ad **TE** delatum
virtutis praemium, meritis **TUIS** ac-
cessio fieri potuit. Quae cum optimi
quiq; suspiciunt, omnes applaudunt, no-
lui in postremis esse, qui inter publica
vota & congratulationes demississimae
meae in **TE** pietatis, quam bene co-
gnitam per spectamq; iam habes, **MAE-**
CENAS OPTIME, aliquod docu-
cumentum darem. Quod ut tanto
testa-

te statius esset, cogitata mea in eruendis quibusdam vocibus Polonicis TIBI speciminis loco omni cum observantia exhibenda existimaui. Quod si TVO sint palato res istae non adeo opiparae, vehementer gaudeo. Sin minus, digneris, velim, eas conspectu TVO, veluti cibos, qui oculos magis, quam palatum delectant. Ego quidem summississimo meo officio fecisse satis arbitror, si TIBI, VIR MAGNIFICE, id, quod pietas a me requirit, probari cognouero. Quod reliquum est a DEO T. O. M. precor, ut dignitati TVAE perpetuitatem addat, consilia omnia ad rei publicae commodum ac
inte-

*integritatem conservandam profutura
fortunet, rebusq; mortalium interesse
iubeat quam diutissime. Sic splendor
Nominis TVI meritorum magnitudi-
ne adauctus memoria nunquam inter-
itura lucebit semper, qui omnibus erit
laetissimus, TVIS ac in primis NOBI-
LISSIMAE TVAE DOMVI gratis-
simus, mihi vero, qui TE summa vene-
ratione prosequor, maxime iucundus,
quem ut insigni illa TVA gratia, mul-
tis indicis domui meae iam pridem co-
gnita, complectaris, omni cum observa-
tia ac demissione animi oro ac contendo*
MAGNIFICO NOMINI TVO

Dab. Thorunii
Calend. April.
CDDCCXLIII.

additissimus cliens
Joa. Daniel Hoffmann.



Tudii Etymologici vtilitatem ac praeftantiam GOD. GVIL. LEIBNITIVS 1) & JO. GEO. ECCARDVS 2) accuratis & meditatiſ commentationibus iam pridem commendarunt. Vetuſtiſſimorum enim orbis antiqui populorum res geſtæ ac migrationes aut nullis annalium monumentis conſignatae ſunt, aut ita perplexae, vt, quid

in his vci III, VIX ac ne vix quidem intelligi poſſit. Cui rei tandem omne eſt præſidium in nominibus terrarum, montium, fluuiorum, virorum fortium & rerum ad religionem ac militiam pertinentium, quæ qui ſcrutatur curatiſ, aliquam accendit lucem rebus, craſſiſſimis tenebris conſectis. Si quis contra in iisdem a recto aberrat, nae ille vera falſis confundit. Magna igitur circumſpectione opus eſt, ne ex voce, quæ alii voci linguae cuiuſdam peregrinae conſonare videtur, nullamque cum illa notionem habet communem, hanc ab illa originem trahere colligamus: id quod perſpicaciſſimo LEIBNITIO in eruenda voce *ſrzoda*, quam cum Zoroaſtre comparat, accidit, vt ex iis, quæ de eadem voce infra commentatus ſum, apparet. Ad eodem ſcopulos impegit ſollertiſſimus ECCARDVS 3) qui *Vandam* celeberrimam illam in Polonorum historia vatem, ut is opinatur, & heroinam a Celtico *Vates*, *auguriorum captor*, vnde Saxonum & veterum Teutonum *ſaten*, ſuperiorum Germanorum *ſoſſin*, *capere*, quod de auguriis proprie uſurpatum eſſe putat, deriuandam cenſet; cum tamen origine ſua Slauonica vox ſit, nihil cum illa Celtica voce commune habens. *Węda* enim *hamum* ſignificat, quod aliorum animos mentesque pulchritudine ſua, quali hamo, ceperit: ita interpretatur

- 1) In Miscell. Berolin, T. I. p. I. 2) De vſu præſtantia ſtudii Etymologici in *Historia diſſ.* 1700. & locupletius 1706. Helmſt. edita 3) In præf. ad lect. G. G. Leibnitii *Colleſtaneis Etymolog.* præfixa p. 10.

pretatur ipse DLVGOSVS. 4) Leuissima quoque congruen-
ita vocis *strawa* cum germanico *Sträu* / *stragula* JO. TROE-
STER 5) deceptus, cum MART. SCHOEDELIO 6) Seythico-
Hunnicum vocabulum illud esse arbitratur, quod apud JOR-
NANDEM legit, de magnificis Attilae exequiis ita scribentem;
7) *Postquam talibus lamentis est defletus, stravam super tumulum eius,*
quam appellant ipsi, ingenti commestatione concelebrant. At vero vo-
cem istam Slaunicam esse, a *trawic*, *consumo*, unde *strawa* res
cibaria, quod hoc loco pro ipso *conuiuio* accipitur, iam aduertit
ECCARDVS 8) Hinc BONFINII emendatio huius loci super-
vacanea est, qui *strenam* legendum esse existimauit. Ita quo-
que ratio comparata est vocis *czotom*, quam quidam ab Hebrai-
ca perperam deriuarunt; quod infra excussi. Hosce scopulos
ut ego euitarem, omni studio in id incubui, ut voces origini-
bus Slaunicis vindicarem, nisi hac in lingua nulla earum ve-
stigia reperiri, certo constaret. Hoc modo confectatus sum ri-
uulos in voce infra eruta *Jesse*, vsque quo, nisi me omnia fal-
lunt, ipsum fontem adierim. Nomina enim Deorum gentili-
um plerisque gentibus communia erant: quae hic studiosius
undique conquisiui, ut vel ea ratione maius accederet pondus
opinionis meae, unde istam vocem promanasse iudicauerim.
Num vero in voce *Holota* rem acu tetigerim, id aliorum iu-
dicio permitto. Illam regulam quoque mihi ante oculos pro-
posui in compositis cum voce *mir*, quam speciminis loco ex-
hibeo, ut ea, quae Celticis vocibus consonare videntur, a Sla-
uonicis studiosius seiungerem. *Woldemarus* enim, nomen re-
gis Danorum, quod cum Slavonico *Wolodimir* perperam con-
fundit LVBIENSKI, *Valamirus*, *Vidimirus*, *Theodemirus*, *Vindemi-*
rus,

4) In Hist. Pol. L. I, p. 55. 5) im Alt- und Neu-Deutschen Dacia L. III.
c. 10. p. 305. 6) in disp. de regno Hungariae praef. Matthias Berneg-
gero Argent. 1629. habita thes. 18. 7) De rebus Geticis c. 49. 8)
de visu & praestantia studii Etymol. lit. h. in not.

rus, Chlodimir, Marcomir, Ingomir, & reliqua, non sunt Slauonica, sed Celtica seu Franconica. Nam veteribus Francis *mer* siue *mir* significabat *Dominum, Principem*, de quibus CAROLVS du FRESNE consulendus 9) Ceterum si quas voces, idem significantes, cum aliis linguis consonare cognovi, sedulo notavi, ut, instituta comparatione, omnia eo magis illustrarentur. Jam rem ipsam persequamur.

Jesse, nomen Dei antiquissimorum Polonorum, superstitionibus gentium olim deditorum, maximi. Non puto quemquam scriptorum Polonorum JO. DLVGOSSO antiquiorem, huius numinis fecisse mentionem. En! verba illius: *Appellabant Poloni Jovem Jessem lingua sua, a quo velut Deorum summo omnia temporalia bona & omnes tam adversos, quam felices successus sibi credebant praestari. Cui etiam praeter ceteris Diis amplior impendebatur bonos frequentioribusque colebatur sacris.* 1) *Jessem*, quem ALEX. GVAGNINVS 2) scribit *Jessam*, DLVGOSSVS lingua Polonorum ita appellatum arbitratur. Idem tradit STRYKOWSKI 3) qui multis codicibus Mstis in concinnanda sua historia vsus est, ac praeterea non solum Polonorum, sed Pomeranorum etiam atque Masovitarum Deum maxime potentem fuisse memoriae prodit, quibus eadem *Jessae* appellatio communis erat. Videtur haec vox, nisi me omnia fallunt, maxime consonare appellationi Numinis Gallorum, quod *Esus* a LACTANTIO 4) in plerisque editionibus, omniumque praestantissima a JO. LVDOLPHO BVNEMANNO nouissime edita, vocatur, quum alii codices habent *Hesus*: de quo etiam LVCANVS: *placatur--feris altaribus Esus*. Conuenit quoque cum Hetruscorum *Aesar*, accedente Hetrusca terminatione, nam *aiwa* est *fatum*, id est, *Deus, qui fatorum auctor*: vnde apud

B HE.

9) In Glossario mediae & infimae latinitatis voce, Ballomer; item voce, Mir.

1) Hist. Pol. L. I. p. 36. 2) In descrip. Sarmat. Europ. p. 9. 3) Kronika Polska L. IV. c. 4. 4) Instit. L. I. c. 21. p. 135.

HESYCHIVM Tyrrhenorum Dii appellantur *Διοί*, notante CASAVBONO 5) Caue, existimes, me ab his gentibus Polonorum *Jessam* velle arcessere; altius huius vocis origo reputanda. Bene monuit JOA. GEO. KEYSLER 6) *Alii Romanorum Scriptorum generali nomine (quo septentrionales aequae ac Celtae Deos suos compellabant) pro speciali sumto, nouum numen Esum vel Hesium effinxere, qui tamen non alius, quam Odinus, As, Aes, vel Aesius, hoc est, Deus Κεῖ ἐξοχῆν dicitur; vtut minime nesciam, istas voces a Phoenicium Deo Azizo a SAM. ROCHARTO 7) deriuari. Atque ab eadem voce As siue Aes, Polonorum Jessam effectum esse arbitror; as enim Dei & aeser deorum nomen veteri lingua, non modo Scandinavica, sed etiam Celtica viguisse, ait THEOPHILVS SIEGFRIDVS BAYERVS. 8) JAC. WILDE Suec. Historiogr. 9) Aesar filios Dei designare putat in mythis Scythicis homines primos Sanctiores, quos ortos ferunt a Bore-as Deo Bore. Hinc PHIL. JOA. a STRAHLENBERG 10) ab eadem voce as Gothos & Teutones reges & heroes suos cognominasse putat: vnde etiam regum Scytharum nomina *Madi-as* & *Madur-as* diuinum & magnae virtutis virum denotare existimat; *Madur* enim veteri lingua Islandica idem est, quod *vir*: imo a Tataris tempore nostro magnum heroem vocari *Aesch*, *Asem* & *Asam*. Ab eodem *as*, qui etiam Alanorum, in eam deinde regionem, quae nunc Lituania vocatur, migrantium, Deus esse traditur, urbem Tanais hodiernam suam appellationem *Asoff* habere videtur CASP. ABELIO. 11) Quemadmodum igitur inde Gallorum & Tyrrhenorum *Esius*, *Hesus* & *Aesius* quorum*

9) in Comment. ad Sueton. in vita Aug. c. 98. p. 316 6) In Antiquit. selectis Septentr. & Celt. p. 139. 7) Geogr. S. T. I. Opp. p. 662. 8) In Comment. Petrop. T. V p. 339. 9) In Praeparatione Hodgeger. in Introd. Puffend. in Svecici Status Hist. in Nou. Act. Erud. Lips. a. 1743. p. 492. 10) im Nord-und Ostl. Theil von Europa und Asia p. 46. 11) in Hist. Monarch. orbis antiqui p. 444.

quorum aborigines Celtæ fuerunt; ita Polonorum *Jessa*, mutatis literis, quod sæpissime usu venit, ortum suum habet. Atque hanc communem appellationem Numinis non solum septemtrionalium, sed etiam aliarum gentium fuisse, necesse est. Nihil est, quod obiicias, Sarmatas a Celtis lingua & institutis inter se differre. Multas res atque adeo voces inuexit religio & usus ab aliis gentibus traditus: quarum plurima exempla in omnibus linguis, ipsaque lingua Polonica reperiuntur: id quod vel sequens vox comprobabit.

Bobatyr, vox composita est ex *Boba* Russorum, quod Polonorum casus Genitiuus *Boga* & Nominatiuus *Bog*, *Deus*, est ac *Tyr*, quæ vox in septemtrionalibus linguis magnum quæque virum significat, & in compositis augendi vim habet, ut ex GEO. HICKESIO & RVDOLPHO JONA supra memoratus BAYE-RVS 1) aduertit. Idem obseruat inter Thracas vicinosque Gætas & Scythas Sarmatasque celebre hoc Tyrae nomen fuisse; id quod BOCHARTVS 2) quod ad Thracas adinet, iam annotauit. Idem verò esse, quidam arbitrantur, cum *Thor*, peruulgato in mythologiis septemtrionalibus nomine. Quod ad Sarmatas, Polonorum maiores adinet, hanc vocem maxime in usu apud eos fuisse eandemque vim obtinuisse credit idem doctissimus vir, lucemque affundi posse putat loco, apud LVCIANVM, 3) ubi hic narrat, si quis praelio superatus *Σειν* exclamarit, eius vitæ Sarmatas pepercisse, velut cum redemptionis pretio venientis: quam vocem idem, quod *tyr*, dempto sibilo, denotare opinatur. Id quidem certum est, apud Polonos hodieque reperiri eandem vocem primitivam *tyr*, quæ in hoc modo loquendi, *tyr komudat*, nihil aliud communi usu significat, quam *virgula censoria notare aliquem*, ut QVINTILIANVS loquitur. *Bobatyr* itaque idem est, quod *beros*, vir plane diuinus, qui res

B 2

miran-

1) In Comment. Petropol. T. V, p. 355. 2) l. c. p. 151. 3) In Toxari Tom. II, Opp. p. m, 60.

mirandas patrat. Vnde *Bobatyrka herois*, *Bobatyrski*, *herois*.

Helota multitudo erronum, vilissimæ conditionis hominum, infimæque populi faex. Haec vox & illa Graeca, *Helotes*, apud CORNELIVM NEPOTEM 1) videntur inter se congruere, quos genus quoddam hominum fuisse memoriae prodit, quorum magnam multitudinem agros Lacedaemoniorum coluisse, seruatorumque ministerio esse functam: atque hos quoque Pausaniam sollicitasse spe libertatis narrat. Nomen vero istud traxerunt a maritimo oppido, quod in Achæorum erat ditione, Helos, dicto, quod evertisse Lacedaemonios atque incolas in regionem suam deduxisse PAVSANIAS 2) refert. Nullum vero eius rei vestigium extat, quod haec vox apud Graecos ita sit frequentata, vt omnibus eius generis hominibus indita atque ad vicinas gentes Thracas, Istros, Illyrios atque Dalmatas propagata sit, quorum regiones Slavi deinceps occuparunt, ad quos etiam transferri potuisset. Igitur tantum abest, vt ista a me adfirmentur, ut potius maiorem cum aliis vocibus consensum commonstrem, vel aliunde illius vocis originem derivandam esse existimem. Mirifice ista placent, quae iam BAYERVS 3) observavit: *Graecos Scytharum nomen per monumenta euasit celeberrimum, quam Scolotorum, verum quidem, sed obscurum nomen. Mansit tamen Scolotorum nomen apud Athenienses in ludibrio. Nam publici ministri & vigiles Athenis dicti sunt τολόται iidem & οὐδῶν & τοζόται. Tolotae a Scolotis deprauatum: Scythae iidem, quod sagittarii essent & in medio foro habitarent sub pelilibus.* Jam Oedipo coniectore non opus est, vnde vocis Polonicae origo ducenda sit, cum & significatus & vocis tantus sit consensus. Peruulgatum enim est, quemadmodum *s* & *c* a Graecis in *t* est mutatum, ab aliis *c* in *b* mutari, vt ex voce *Celta*,

1] In vita Pausaniae c. 3. 2) de veteris Graeciae regionibus L. III.

3) In Comment. Petropol. T. I, p. 392.

Celta factum est Germanorum Held. Scolotis sive Scythis antiquissimis populis nullus erat locus fixus, huc atque illuc turmatim vagantibus & in finitiorum terras praedandi causa irruentibus, qui procul dubio vicinos Sarmatas saepius lacecebant. Hinc ejusmodi erronibus praedabundis, arrepta ex appellatione nominis proprii Scolotae occasione, deinde Holotae nomen contemtum cessit. Consonae vocis vestigia deprehendisse mihi videor in lingua Anglo-Saxonum: ubi Hlod est turma praedonum, item consortium; plerumque vero malo sensu accipitur: Hinc Hlothbote est compensatio damni turma dati, obseruante ECKHARTO ex legibus Iuae & Aluredi. 4) & Hlothu veteribus Teutonibus praeda in Glossario LIPSII, quod notauit LEIBNITIVS 5) qui quidem hanc vocem ab holo veteri, hodie hoble & Belg. hale i, e. aufero, fero, adfero, derivat. Gototae vox in Constitutionibus Regni Poloniae non infrequens est, quam STANISLAVS SARNITIVS explicat nieosiady, item odartus, impossessionatus. 6) Constitutio Sigismundi l. a. 1523. Bona dotalitia uxoris, a perlucris libera sint. Si vero quis in aliquo alio bona quaecunque iuris decreto fuerit affectus: in quibus scilicet bonis vxor eiusdem vlti habuit reformationem suam dotaliciale: talem reformationem volumus illasam permanere & talis conuictus pro golotha debet reputari, inre golotharum deinceps conueniendus: casu, quo executioni rei indicatae contraveniret 7) Atque hoc est illud ius, quod in Polonia Holoticum vocatur, ex quo contra impossessionatos agere solent. Golota, explicante CNAPIO 8) est sine censu homo, pedem ubi ponat in suo non habens, sine lare, sine fide homo: Golota ergo & Holota idem fere sunt; b enim & g facile inter se permutantur: nam quod Russi borod, idem

B 3

Poloni

- 4) im Neuen Bücher-Saal XXII. Deffnung p. 715. 5) In Collectaneis Etymolog. p. 92. 6) Metryka Statutow i przywileiow Kor. p. 524. 7) Hanc Constit. vid. in Joa. Herburci Statutis p. 222. tit. Reformatio. 8) In Thes. Pol. lat. graeco,

Poloni *god* dicunt. Vnde *goty, gotubny glaber depilis, depluris: gale, rado, gotocz, nudo, priuo, spolio bonis, opibus &c.* Ab *Hotota* descendit *botysz* item *hultay, erro, circumcellio, nauici homo & bul-taystwo* multitudo eiusdem generis hominum: *botwie, tabernas frequento, in tabernis visito*, Quid? si Germanorum *Holuncke* ab eadem voce descendere dicerem.

Czotom. Hac voce Poloni conuenientes vel abeuntes se mutuo prosequi solent, obseruantiae atque honoris contestandi causa. Sunt, qui Hebraicam vocem *Sebalom*, quod significat, *pax*, esse censent. Autor quidam ita scribit: 1] Ein gewisser Geistlicher in Plessland meinete gewisse Umstände gefunden zu haben/ in welchen das Russische Volk mit dem Israelitischen noch übereinstimmete/ da nemlich in der Russischen Sprache noch viele Hebräische Wörter wären/ als *tschalom/ ich dancke und dergleichen &c.* At meo quidem iudicio, haec vox est non nisi Polonica a *czoto, frons*, quod etiam Russica lingua *tschelo* indicat. Nam in Oracionibus Polonicis saepius legi hunc modum loquendi *czotem bić, fronte pulsare* i. e. *venerari & quasi prouari fieri, fronte humum pene contingente adorationis causa*, vel quasi *προσκυνεῖν* more Persarum, quorum institutis olim Sarmatae utebantur, vt alio loco iam a me ostensum est. 2] Frequentius hodie loco illius vocis usurpari solet *klanjiam, klaniam sic*, quod proprie significat *inflectere genua, caput, poplites, curuari toto corpore*, at vero *klaniac sic od kogo, salutem alii cui alius nomine dicere*, de quibus CNAPIVS consulendus.

Srzoda, dies Mercurii, conuenit cum significatione vocis Germanicae *Mittwoch*: Nam *srzod* significat medium rei cuiusdam, *srzodek & posrzodek medietatem* s. *medium, srzedni* s. *posrzedni, medius*. Vox ergo est plane Polonica. Hinc mirum cui videri posset, qui factum sit, vt acutissimus Vir LEIBNITIVS hancce diem

1] Verändertes Russland Part. III. p. 59. 2] de Originibus linguae Polon. p. 9, sequ.

diem ab omnibus Slavicae linguae gentibus, a Zoroastre, quem alii Zerduft appellant, dictam esse existimaverit. Audiamus ipsum ea de re differentem: 1) Seine [Zoroastris] große Gelahrtheit hat gemacht/ daß ihn die Orientaler mit dem Mercurio oder dem Hermes der Egyptier und Griechen verglichen/ eben als wie die Septentrionalischen Völker ihren Wodan oder Odin mit eben dem Mercurio verglichen haben. Deswegen ist die Mittwoche oder der Tag des Mercurii von den Septentrionalischen Völkern Wodans • Tag/ von den Asiaticis aber des Zeurest Tag, genennet worden / massen er von den Türcken und Persern Arschamba oder Dsearchambe, von den Ungarn/ die aus dem Mitternächtigen Morgenlande gekommen/ Zerda und von den Slavoniern von dem Anfange des grossen Russenlandes/ bis zu den Wenden in das Lüneburger Land Streda genennet wird, indem es die Slavonier auch von den Orientalischen Völkern gelernet. Ipsa vero ratio appellandi dies apud Polonos & reliquos, slavica lingua vntes, populos, prohibet, quo minus tanto Viro in his accedamus. Nulla enim est dies, quae more Aegyptiorum atque adeo ipsorum Septemtionali-um populorum, a planetis nomen sortita sit. Qui igitur convenit, ab Orientalium Zerduft, quem cum Mercurio comparant, dicere istius vnus diei appellationem proficisci, in reliquis vero aliam appellandi rationem tenere. Non seiunctum a re posita videtur, rationem ceteros dies appellandi hoc loco interponere, vt eo clarius appareat, neque Polonis, neque aliis populis slavicae nationis in vsu esse, aut fuisse vnquam, ab vilo nomine, quod proprium Grammatici appellant, dies denominare. Dies solis vocatur a Polonis *Niedziela*, quae vox composita est ex adverbio *nie non* & altero *dziatac*, quod significat *agere*, atque hinc *dzielo actus*. Designat igitur diem feriatum, quo ab negotiis quotidianis cessandum sit. Dies Lunae

Foniedziel

1) In praef. Theodicaeae edit. germ. prior. p. 52.

Poniedziałek, ubi ad istam vocem accessit particula *po* latine *post*, quae in compositis etiam indicat id, quod sequitur, aut succedit, idemque est, quod dies feriatum diem sequens ac plane convenit cum Germanico *Affter Sabbath* id est, posterus dies sabbati, quo modo a Germanis subinde nominatur. Dies Martis, *wtorek* a *wtory*, *secundus*, intellige, a die Solis. Dies Jovis *czwartek* a *czwarty*, quia *quartus* a die Solis. Dies Veneris *piątek* a *pięc*, quia *quintus* ab eodem die. Dies Sabbati *Sobota*. Hic dies, testante JOSEPHO 2) communem, ex Judaico ritu, plerisque gentibus habet denominationem, accepta ab Hebraica lingua appellatione. His probe expensis, vix quemquam fore existimo, qui diem Mercurii, quam Poloni *szroda* vocant, aliter exponendam putet, quam diem mediam, cum & ipsa vox Polonis familiaris idem comprobet. Eandem ferre appellandi rationem servant Russi in Moscouia & in Polonia, quibus, ut in reliquis, dies Mercurii dicitur *Sereda*. Item Venedi in Ducatu Luneburgico, ad quos in primis LEIBNITIVS supra respicit, quorum *Nidiglia* est dies Solis, *Pnegdigf* dies Lunae, *Tóre* dies Martis, *Sréda* dies Mercurii, *Perendan* dies Jovis, *skumpe* die Veneris, *Silboida* dies Sabbati. 3) Quin ipsi Hungari, teste JOA. TSETSO, 4] illustris Scholae Saros-Patak. Rectore, quorundam dierum appellationem slauonicam retinuerunt. *Szereda* enim ipsis a *Streda*, dies Mercurii, *Tiórtörtök* a *Tswártok*, dies Jovis, *Pentek* a *Pietok* dies Veneris. Idem quoque iam SELDENVS 5] observavit, Hungaros sine planetarum mentione dies designasse. De reliquis orientalibus gentibus non difficile esset, idem demonstrare, nisi ab instituto

meo

- 2) L. II. contra Apionem. 3) vid. Jo. Geo. Eccardi Hist. Studii Etymol. linguae Germ. hactenus impenk p. 276. 4) In Observat. Orthograph. Grammat. de recta hungarice scribendi & loquendi ratione Franc. Pariz Papai dictionario Manuali Latino-Vngar. Leutschouiae 1708. edit. subjunctis p. 10. 5) De I, N, & Gent. L. III, c. 22. p. 457.

meo, id alienum esse ducere. Qua in re cum dubitatio nulla sit, corrui & illud, cui LEIBNITII opinio omnis superstructa est, arbitrantis, istam diei illius appellationem ab orientalibus Slauos didicisse. Hoc ipsum SELDENVM non fugit, qui ita scribit ea de re : *Sunt quidem gentes Christianae, quae undiquaque, ni fallor, veterem illam consuetudinem ita exiurunt, ut nullius planetae nomine in diebus designandi, ne sermone vulgari utantur ; quemadmodum Poloni, Bobemi, alii lingua Slauonica cognati, qui niedele & niedziela, aut vocabulo affini, pro Dominico primum vocantes, proximum posttriduanum Dominico dicunt, tertium secundum, quartum tertium & deinceps usque ad sextum, quem quintum nominant i. e. quintum a posttriduanano incluso & demum septimum Sobota, quod Sabbatum est. In eo vero errat, quod quartum diem i. e. Mercurii putet ab hisce gentibus vocari tertium : id quod iis, quae a me supra dicta sunt, atque adeo ipsi experientiae repugnat. Quid ? omnis ratio denominandi dies apud Polonos recentiora tempora, quibus doctrina Christi vigere coepit, redolere videtur, quod diem Saturni, ex more Judæorum, diem Sabbati & diem Solis ex ritu Christianorum, diem cessationis ab omni opere vocitent ; reliquis diebus ad modum Ecclesiae occidentalis secundum numeros dierum designatis. Qui igitur Zoroastrem illum s. Zerdust s. Zerdam circulo septem dierum interposuissent ?*

Mir, pax, est vox Polonica hodieque vsitata, apud Russos etiam vsu frequentissimo ; hinc in pace Grimultouienfi cum Russis a. 1686. sancita saepe occurrit Adiectivum, mirny traktat, mirne postanowienie, pacis tractatus, pacis constitutiones. CNAPIO etiam significat quod przymierze foedus s. induciae ad certum tempus. Cum hac voce multa nomina gentis Slauonicae composita sunt, quorum praecipua hic adiiciam :

Blademarius Dux Bohemiae : ita hoc nomen legitur T. III. *Scriptorum Brunsvicensium*. Bene autem monuit J. L. FRISCH 1) *Wladimir* esse scribendum, qui *etymologicas rationes*, ait, *excusare has consonantium & vocalium permutationes in latina scripta voce, imo quasdam earum postulare* : Nam ob defectum *W & K* in latina lingua, literae *B & G* illis substitui solere ; ab aliis literam Slavonicam, quae ut in Germanicum sonat, optime per *V* latinum exprimi, sed pessime a multis Germanis pronunciarunt e. g. *Vicegrad*, quod *Wissegrad* legendum est, pronunciarunt *Fitzegrad &c.* Pari modo Magnus Dux Rufforum, qui Seculo X. vixit, vocatur a SNORRONE STVRLESONE *Waldemar*, qui tamen a Ruffis appellatur *Wladimir*, de quo nomine infra 2)

Bormirius Verfovicensis Bohemus, qui regnante Casimiro, in Polonia magnas turbas excitavit, a *bor, silva, pinea, pinetum*,

Casimirus s. *Cazimirus* Pol. *Kazmirz*, a *kazać iubere*, interprete DLVGOSSE 3) *iubens pacem*.

Cieffimirus decimus nonus filius Lesci III. forte a *ciefzyć, consolari recreare, recreans pace*.

Horywirius a Bohemico *hory* Pol. *gory* in plur. *montes, montana*.

Jaromirus quod nomen interpretatur DITMARVS MERSEBVRGEN. 4) *firma pax*. Vox *Jary* apud Polonos adhuc in vsu est, sed non eiusdem significatus, quem DITMARVS

1) *Miscell. Berol. T. IV. p. 193.* 2) *Gerhard Friedr. Müllers Saml. Ruffisch. Geschichte 2tes St. p. 114.* 3) in *Hist. Pol. L. I. p. 164.* 4) in *Chronico L. VI. p. 129. edit. Mader.*

RVS eidem tribuit. Nam *iary bornotinus*; propius accedit ad eius notionem *iedrny* vigens, interposita litera d. DVBR
RAVIVS 5) Ducem Bohemiae XX. appellat *Hiaromirium*:
idem vero est quod *Jaromirius*, quo nomine etiam alio loco ab eodem vocatur.

Lubomir, unde S. R. I. Principes Lubomirscii in Polonia, a *lubo*,
verbum *lubie*, *delector*, i. e. *delectans* pace, nomen habent.

Ludomir pagus in Bohemia a *lud*, *populus*: ita vt Polonorum *ludokradca*, *plagiarius*, *ludokupiec* mango.

Niemirów oppidum in Podolia, in qua Romani, Russici & Turcici Imperatorum legati pacis faciendae causa a. 1737. convenerant. Composita vox cum adverb. *nie*.

Pustimirium, coenobium in Bohemia a *pusty*, *locus desertus*, i. e. loci deserti requies.

Sandomiria s. *Sandomiria* vrbs in Min. Polonia, ab confluente Sano, qui Vistulae hanc civitatem praeterfluenti miscetur, nomen vrbi inditum traditur, test. VESPASIANO a KOCHOW KOCHOWSKI 6)

Scarbimiria, oppidulum in Min. Polon. a *skarbie*, *recondo*.

Stoymir, Princeps Bohemiae, vivo Boriuario, delectus est, quem Hostovitius in exilium ad Bavaros miserat. DVBRAVIVS 7) ista narrans, subiungit, vix in Bavaria inventum esse, propterea quod Bavari eum non *Stoymirum*, sed, mutato nomine, *Stilfridum* appellaverint; vnde significatio vocis
apparet

5) in Hist. Bohem. L. VI. p. 51. coll. 52. 6) Annal. Polon. Clm. II. p. 116. 7) l. c. L. IV. p. 30.

apparet. Cum hoc congruit *Stanimir*, a *stanowié*, *sistere*; illud vero a *stoié*, *stare*.

Wilkomiria arx loco edito a Dorsprungo Juliano, comite Labionis ex Italia in Litvaniam profecto condita, ut STRYKOWSKI alios sequens comminiscitur 8) ignorans, unde hoc nomen ipsi inditum sit. Quem vero nunc latet, hanc vocem ex *mir* & adiectivo *wielki*, *magnus* compositam esse; ex quo obscurum esse nequit, istum locum a Slauica gente s. Russis aedificatam, illamque STRYKOVII opinionem, maiores Lituanoꝝ ab Romanis oriundos, arbitrantis, iam pridem esse explosam.

Wladimir, *Volodimir*, *Vulodimir*, *Włodimirz* & diminutivum *Włodimirek* vnius originis voces a *władza*, *potestas*, germ. *Gewalt*/a *walten*; verbum *władam* *rego*, *impero*, *dominor*, quasi tu dicas *pacis potens*, interpretante LVBIENSICIO.

Wrocimirowa praedium in submontana ora Palatinatus Cracouiensis, quod erat patris ANDR. WISSOWATII Sociniani, a *wroce*, *reddam*, *restituam*.

8) l. c. p. 81.





diapir alizaga

ROTANOX

2015

